

quibus apud hos ea substantiua leguntur, ullo istum intellectum requiri, plerisque ne admitti quidem adfirmem. Et *λογογράφος* quidem ac *λογογραφία* uoces apud Aeschinē Demosthenē Dinarchum non referri nisi ad iudicialium orationum scriptores nemo unquam dubitauit neque aliter intellegendum esse quod apud Platonem in Phaedro p. 257 C Lysiam τῶν πολιτικῶν τις quem Archinum esse probabiliter suspicantur διὰ πάσης τῆς κειδορίας *λογογράφον* appellasse narratur, iam scholiasta uidit. Sed quod in eodem dialogo paullo infra p. 257 E Socrati uidentur οἱ μέγιστον φρονοῦντες τῶν πολιτικῶν μάλιστα ἐρᾶν *λογογραφίας τε καὶ καταλείψεως συγγραμμάτων*, id et ipsum de solis orationibus quamuis non iudicialis tantum generis dici contraria Phaedri quam ille impugnat sententia p. 257 D luculenter demonstrat. Nimirum phesiphma est Socrati *λόγος συγγεγραμμένος*: quare qui rogationes ad populum ferre uetatur *ἄμοιρος γίγνεται λογογραφίας* p. 258 B. Unde quis *ἀθάνατος λογογράφος* p. 258 C dicatur iam apparet neque p. 278 E *λόγων συγγραφέα* alium esse nisi oratorem dubium uidebitur conferenti superiora p. 278 C. Eadem est ratio Aristotelicorum ex rhetorica locorum, de quorum duobus iniuria dubitauit Curtius utrum orator diceretur an prosae orationis scriptor. Sed in illum unum conueniunt quae III, 7 p. 1408^a u. 34 leguntur *πάσχουσι δέ τι οἱ ἀκροαταὶ καὶ ὃ κατακόπως χρῶνται οἱ λογογράφοι τίς οὐκ οἶδεν; ἅπαντες ἴσασιν*. Causarum autem actorem indicari III, 12 p. 1413^b 13 *βαστάζονται δὲ οἱ ἀναγνωστικοὶ οἶον Χαιρήμων (ἀκριβῆς γὰρ ὡσπερ λογογράφος)* concedes comparatis his quae sunt p. 1414^a 10 *ἢ δὲ δικανικῆ (λέξις) ἀκριβεστέρα*. Tertio loco II, 11 p. 1388^b 22 *ζηλωτοὶ ὧν ἔπαινοι καὶ ἐγκώμια λέγονται ἢ ὑπὸ ποιητῶν ἢ λογογράφων* Curtius propter poetarum uidelicet oppositionem de prosae scriptoribus cogitare maluit pariter atque Platonis et Isocratis locis quibus *λογοποιοί* cum poetis componuntur.

At Isocrates Philippi § 109 *περὶ τοίνυν Ἡρακλέους οἱ μὲν ἄλλοι τὴν ἀνδρείαν ὑμνοῦντες αὐτοῦ καὶ τοὺς ἄθλους ἀπαριθμοῦντες διατελοῦσι, περὶ δὲ τῶν ἄλλων τῶν τῆ ψυχῆ προσόντων ἀγαθῶν οὐδεὶς οὔτε τῶν ποιητῶν οὔτε τῶν λογοποιῶν οὐδεμίαν φανήσεται μνείαν πεποιημένος* nequit dubitari quin *λογοποιούς* non alios intellegi uoluerit atque Busiridis § 37 *ὁμολογεῖται παρὰ πάντων τῶν*